

Capit. 1. citatum Seſſionis 23. numer. 7. & 8. Episcopos non potest. Et de Potestate Episcopi Allegat. 53. numer. 85. & 86. ubi alios pro eodem adducit.

Doctrina Nauarrus quomodo accipienda, sicut & aliorum.

5 Quod ergo Nauarrus ait Consilio 15. de Clerico non residentib. posse scilicet Parochum abesse, si Vicarius generalis eligatur, quod & alij affirmant; iuxta explicationem datam est admitendum, quando scilicet in eo evidens Ecclesie utilitas deprehenditur. Apostilla autem illius Concilij resolutioni Auctoris obſiſtit, dum in ea dicitur Sacram Congregationem censuisse Ordinarium hanc licentiam non posse dare, & quod illius Auctor videtur Curatum licentiam a Papa circa hoc negotium postulare. Quod ex aliorum etiam facto comprobatur Zerola in Praxi Episcopali Parte 1. verb. Parochus 6. Sexto. verum est; tamen Auctorem hunc non de Vicariatu loqui in diaceſi, in qua est Parochialis, sed in alia, & sic procedere ea, quae ibidem adducit. Et est quidem in eo discrimen non leue, quia Parochus Vicarius effectus a proprio Episcopo, curam suae Ecclesiae non relinquit: cum enim omnium in diaceſi existentium eam habeat, in illis, quae ipsius est propria, ante eius oculos obuerſatur. Nihilominus doctrina tradita generaliter est accipienda, quia & ratio generaliter urget, cum sit verissimum, quidquid de cura illa generali sit, Parochum non relinquit. Et inconuenientia illa fore certissima, quae ex Pastorum absentia subsequuntur; unde & Declarationes Cardinalium ita exprimentur, cum de seruitio circa propria diaceſim loquuntur. Dixi autem in Parochis Indiarum hoc esse peculiare, quia Indi maiore cura indigent, ut plantae nouae, & substituti proprii solent commodis inhilare, nec sperari facile remedium possit, quandoquidem Vicarios proprios habent, utpote eorum facturae, & quos student emolumentorum opportuna contributione de mereri.

Resolutio procedit etiam in diaceſi in qua est Parochia.

In Parochis Indiarum id speciale.

Aſſer. 2. Et etiam in Parochia propria residentiam, si officio nequeunt satisfacere.

Residentia materialis non sufficere.

Cap. Ex tirpanda, de Praebendis.

6 Dico secundò. Etiamſi Parochi urbani sint, & in sua possint resideſſe Parochia; si tamen ratione Vicariatus ita abesse necessarium sit, ut nequeant commode suo muneri satisfacere, eligi ad illud nequeunt, neque tuta conscientia admittere, stantibus tantum rationibus, de quibus Aſſer. praeced. Ratio est clara, & ex communi Doctorum sententia desumpta, iuxta quam residentia non requiritur pro materiali tantum assistentia Parochi, sed pro cura & sollicitudine opportunè Parochianis exhibenda: unde etſi Vicarium quis habeat, de quo possit non minorem, quam de se ipſo, satisfactionem habere, per se ipsum tenetur in multis ministrare, ut alias diximus; pro quo & videri possunt Ioannes Sancius in Selectis Dissut. 47. Mosconius Parte 1. Cap. 2. Diana Parte 3. Tract. 4. Resolut. 156. alios adducens. P. Bauny Tomo 1. Tract. 10. Quaest. 34. praesertim Dicto 5. & quod maius omnibus habet pondus Innocentius Tertius in Cap. Ex tirpanda, de Praebendis, ubi sic ait: Qui vero Parochiam habet Ecclesiam, non per Vicarium, sed per se ipsum illi deseruiat in ordine, quem ipsius Ecclesiae cura requirit. Sic ille. Tum sic. Qui ratione Vicariatus ministrare nequit in ordine suo, formaliter non residet, quidquid de materiali residentia sit: Atqui non resideſſe absolute non licet Parochi ratione Vicariatus: ergo ne-

que stante residentia materiali, quae perinde est ac si non esset.

7 Ait tamen P. Bauny Dicto 1. quosdam sic opinari, ut existiment eos, qui per alios munus Parochiale obeunt, quando illi viri docti sunt, ita ut aequè bene omnia ad illud spectantia praestare possint, obligationi suae satisfacere: quod cum generaliter asserant, ad casum nostrum poterit specialius adaptari. Sed certe talis opinio non videtur admittenda: ut enim citatus Pater ait, eorum est, qui Concilij Tridentini auctoritatem, verbaque quibus Seſſione 23. Cap. 1. residentiam ex vi praeccepti diuini obligare determinat, praesuis facientes nihili, ad libidinem opiniones sibi fingunt. Neque eorum ratio quidquam euincit, quod scilicet per alios aequè bene omnia Parochialia munia obiri possint: id enim est omnino falsum: nam praesentia Pastoris secundum omnes illius effectus insupplebilis est, quia mercenarius numquam potest agere ut proprius potest Pastor: & hoc ipsum quod est vices praesentem proprium habere Parochum, magni momenti est, & specialem seum affert confidentiam & consolationem: est enim ad manum recurſus, si substitutus excedat, & ad omnia potentius adiumentum. Quod quidem clare ostendit non posse Parochum se penitus absentare, ut videntur voluisse illi, quibus eum praedictus Auctor disputabat. Non autem id sufficere ex eo etiam probatur, quia non pascens, absolute pastor non est, etiamſi per alium pascere conetur: sicut medicus non est, qui curam Egrorum medicum non deesse, neque Aduocatus, qui Aduocatorum patrocinium egentibus prouidet, & sic de aliis: Atqui officium Pastoris est, ut ex Concilio Tridentino constat citato Cap. 1. Seſſ. 23. de Reformat. verbis illis: Cum praeccepto diuino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, omnes suas agnoscere, pro his sacrificium offerre verbique diuini praedicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium exemplo pascere. &c. Ergo dum nihil eorum per se agit, pastoris officium non exercet, unde nec nomine tali dignus habetur. Iuuant etiam quae in Concilio post adducta sequuntur, dum sic dicitur: Pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cetera munia Pastoralia incumbere: quae omnia nequaquam ab iis praestari & impleri possunt, qui gregi suo non inuigilant, neque assiduum, sed mercenariorum more deserunt. Hæc Concilium: quae quidem non solum de materiali assistentia, sed formali sunt etiam accipienda: & ex illis planum redditur per Vicarium non posse praestari, qui mercenarij ritu seruit, & in Indiis specialibus & frequentibus experimentis, satis & plusquam satis habetur exploratum.

Sententia eorum, qui Parochos seruire per alios posse affirmant, non esse admittendam.

Præsentia Parochi non esse insupplebilis, clare ostenditur.

Concilium Trident.

Aſſer. 3. Rationem maiorem boni rari occurrere.

8 Dico tertio. Licet quod dictum est de communi bono, & maiori utilitate Ecclesiae, satis verosimile sit, ut vidimus, & ita in Indiis vniuersim loquendo possit praestari: raro tamen talis occurrit casus, in quo iustificari huiusmodi electio possit. In Capitulis enim Cathedralibus viri esse sufficientes solent, & etiam extra illa. Quia vero iudicium de hoc videtur Episcopis reseruatum, ipsi conscientiam suam consulant, & videant num ad electionem talem ratio inducat, vel impellet affectio. Illi certe qui dispositiones itas solent

lent sine passionum turbatione dispicere, non semel illud vsurpare conſueuerunt: Ut quid perditio hæc habentes quidem personarum cognitionem, & iudicantes quidem posse communem procedere, nihil sua sede mouendo: quin & melius, quia & melioribus offensionibus, quae in istis solent non leues occurrere, deuitatis. Sed ipsi forte plus vident, & ita absit ut quidquam sinistrum de his arbitremur, qui Apostolico gradui succedentes. Et. 11. quaest. 3. & ita ad alia.

Cap. Ab. ſu 11. q. 3.

CAPVT III.

An Præbendarij Cathedralium possint esse Vicarij Episcoporum.

Aſſer. 1. affirmans.

Concilium Trident.

Aſſer. 2. negans in penuria Præbendariorum.

Quid de casu necessitatis, Præbendarij, & Curatum inter se comparando. Vbi pro Curato potestatem esse rationem.

Quomodo diuino cultui praesentanda animarum cura.

Concilium Limanense.

Dico primò. Præbendarij dicti possunt esse Vicarij generales Episcoporum absolute loquendo, quia id nullibi inuenitur prohibutum. Imò in Concilio Tridentino Seſſione 24. Cap. 16. de Reformatione id supponitur verbis illis: Etiamſi fuerint ex eodem Capitulo. Quamuis ibi de Vicario Capituli sermo sit: sed quoad hoc nullum est discrimen, & ita Doctores id communiter supponunt, dum de loco agunt, in quo is sedere debet, & quos ex Præbendariis debeat praecedere. Ad quod cum satis trita doctrina respondeat, de Vicario, qui de Capitulo sit, vel qui non sit de illo: pro quo videri potest Dom. Solorzanus Tomo 2. Lib. 3. Cap. 8. num. 43. & seqq. & in Politica Lib. 4. Cap. 3. pag. 558. Col. 2.

10 Dico secundò. In Cathedralibus Indiarum potest aliquando tanta esse Præbendariorum penuria, ut Episcopo non liceat Vicarium ex illis eligere, si propter officium diuino sit cultui detrimentum inferendum: in hoc enim esse peccatum mortale potest, ut cum aliis tenet P. Thomas Sancius Lib. 2. Consiliorum, Cap. 2. Dub. 12. num. 4. Tunc ergo aut Episcopus sine Vicario se gerat, si id non impediatur diaceſis amplitudo, iuxta ea quae adducit idem Dom. Solorzanus supra num. 11. vel alium eligat, qui de Capitulo non sit, idoneum tamen: ceteris enim paribus ille eligendus est, aut si magnus excessus non sit. In casu autem necessitatis, ille legem facit. Quòd si ex Curatis quisquam idoneus appareat, dubitari potest in quo maius inconueniens sit, in eo scilicet eligendo, an in Præbendario? Circa quod dicendum minus inconueniens esse in Præbendarij electione, quia in illo non ita apparet praesens periculum animarum, & Deus id, quod ad earum salutem spectat, cultui suo patitur anteferi, quando in eo aliqua tantum diminutio sine scandalo adſpicientium interuenit: quia misericordiam magis, quam sacrificium amat. Vnde & Doctores circa cultum Eucharistiae aliqua omiti posse communiter asserunt, ne infirmus sine Viatico moriatur. Pro quo est & Decretum Concilij Limensis secundi, quod à Tertio confirmatum & renouatum Act. 4. Cap. 18. ubi sic dicitur: Cum solempnes feriae aguntur in urbibus, earum celebratis causa Parochi populos sibi Indorum commissos nequaquam deserant, etiamſi Sacratissimum Corporis Christi Festum, aut etiam dies Parasceses in

magna hebdomada celebretur: neque vero ob id vocentur & inuentur ad Vicarij urbium: cum Deo sit longè gratius obsequium oues proprias eo tempore instruere & curare, quam cum earum periculo urbanas solemnitates frequentare. Hæc ibi. Quae quidem sic intelligenda, ut eo modo faciendum sit, etiamſi Vicarius relinquatur: de alio enim vix esse poterat dubitatio.

11 Dico tertio. Præbendarij qui ratione officij à Choro plus abſunt, quam officij administratio exigat, nequeunt assistentium emolumenta lucrari. Id constat: quia in eo, in quo Præbendarius non habet impedimentum assistendi, perinde se habet acſi officium non haberet. Deinde arguere possumus ex iis, quae circa Præbendarios, quibus ex officio lecturæ onus incumbit, vel in Vniuersitatibus Facultatum ingenuarum Professores sunt, addit Dom. Solorzanus Lib. 3. Cap. 14. numer. 31. & seqq. & in Politica Lib. 4. Cap. 14. pag. 616. & seqq. illis enim certae tantum sunt horæ concedendæ, & non, ut contendebant aliqui, dies integra functionis. Et ea gratiam eisdem factam à Gregorio XIII. habetur in Declarationibus Cardinalium circa Cap. 7. Seſſion. 5. num. 12. 5. Non debent. Et ita id tenet P. Thomas Sancius Lib. 2. Consiliorum Cap. 2. Dub. 95. num. 5. de quo & inferius Titulo 18. Quòd autem in quavis alia iusta non assistendi causa, quae publicum bonum concernat, idem dicendum sit, apud eundem Dom. Solorzanum habetur num. 37. & talis debet Vicariatus officium reputari. Esset autem maius ad praesentationem dictam fundamentum, si quis esset simul Vicarius, & publicus Theologiae, aut sacrorum Canonum Professor, ut hic Limæ nonnullos vidimus: occupationes enim illae integrum hominem exigunt, ex quibus si quidquam temporis relinquatur, aliquali est quieti necessarium, unde non videntur tales ad assistentiam in Choro diebus omnibus obligandi. Et quidem ut non assistant horis, in quibus exercitio munus praedictorum vacant, ratio congrua persuadeat; unde & sic est per dispositionem aut declarationem iuridicam constitutum: Atqui geminata occupatione maius est otium pro studio & requie necessarium: ergo ratio quae pro vno militat, debet etiam pro alio militare. Id quod roborari potest ex dispositione Concilij Tridentini Seſſione 24. Cap. 8. de Reformat. ubi de Cononico Pœnitentiaro sic dicitur: Qui dum Confessiones in Ecclesia audiet, interim praesens in Choro censetur. Hæc ibi. Si ergo in Confessionibus audiendis toto eo tempore distineatur, quo Chorus non vacat, toto eo est pro praesenti reputandus. Cuius ea est ratio, quia totum illud officij conditio requirit: ergo similiter est in casu nostro dicendum. Idem autem esse de Archidiacono, & quolibet alio, dum auocatur à Choro, ut officio fungatur suo, communis resolutio est, pro qua Lælius Zechius de Repub. Eccl. Cap. 24. num. 6. & de Canonico pariter, qui Parochiam habet annexam ut videri potest apud P. Bauny Tomo 1. Tract. 11. Quaest. 7. 5. Secundus est. Et de ægotantibus, per adducta à P. Thomas Sancio supra Dub. 90. ac de aliis legitime impeditis ex eodem Dub. 92. & seqq.

Aſſer. 3. Ultra tempus, quod officium exigit, abſentes non lucrari emolumentum assistentium.

Si publicus professor sit qualis illi sit absentia concedenda.

Concilium Trident.

Ex confessionibus pro alijs arguitur.

12 Et ita quidem videtur dicendum, si quòd Vicarius quis scit, ex necessitate Ecclesiae proueniat: Si tamen ex necessitate.



rate officii  
ſit acceptu

niat: ſi autem officium tale ab alio poteſt æque bene administrari, non debet talis abſentia ſuſtineri. Vnde ſi velit talis retinere vtrumque, plus certe laborandum illi eſt, vt & eiſdem ſatisfaciat, & Choro interſit horis feriatis. Quod ſi Capitulares non aſſiſtenti nihil opponant, nec litem intentent, ſecurâ conſcientiâ poterit diſtributionum commoda reportare. Prohibitio enim non ita explorata eſt, & qui nihil opponunt, liberalem videntur facere remiſſionem, quam poſſe facere multorum ſententia eſt apud P. Thomam Sancium ſuprà Dub. 1. o8. Dixi debere Vicariatum diſmittere, non cathedram, quia Cathedralicis ſpeciali eſt circa hoc priuilegium à Gregorio XIII. conſeſſum, vt vidimus, ob magnum Eccleſiæ bonum in litteraria profeſſione: quod tamen non ita videtur pro Vicariatu conſeſſum, cui multi poſſunt idonei reperiri: cum tamen non ita ſit de litterariis Profeſſoribus: arcta enim eſt via, quæ ducit ad Cathedram, & pauci ſunt, qui inueniunt illam. Vnde Præbendarij non debent priuilegium dictum vt iniurioſum ſibi calumniari, qui portare ſe pondus diei, & ætus inelamant, Chori ſedibus inhærentes: maior namque eſt in publicis Profeſſoribus deſatigatio, noctes ducentibus inſomnes, cum alij Chori labore contenti ſine ſollicitudine requieſcant. Certiſſima illa Salomonis, vt potè & Spiritus ſancti ſententia eſt. Eccl. 1. v. 18. Quod in multa ſcientia, multa ſit indignatio: & qui addit ſcientiam, addit & laborem. Vbi Ioannis Campenſis Paraphraſis ſic habet: Qui enim conatur ſupra modum ſapienter fieri, plurima experietur valde ingrata: & qui ad priorem eruditionem aliquid addere volet, id ſine magna moleſtia non perficiet. Sic ille, poſt Paraphraſim in Pſalmos.

Eccleſ. 1. v. 18.

Paraphraſis Campenſis.

CAPVT IV.

Utrum Vicarij generales eſſe poſſint, quos Epifcopi ex Hiſpania ſecum afferunt, aut inde ad tale munus accerſunt.

Ratio dubitandi.

Ratio dubitandi eſt, quia ſic aduentitij ſunt rerum Indicarum: proſus inexperti, cum tamen ad munus tale experientia requiratur: id quod præſertim videtur vrgere quando Epifcopus & Vicarius ſimul veniunt, vt vnus alteri eſſe adminiculo nequeat, cum cœcus nequeat cœco præſtare ducatum. Quod verò liceat, multorum Epifcoporum videtur praxis non facile damnanda perſuadere. Vnde

Aſſertio 1. Conuenientiam negans.

Dico primò. Nullo modo videtur conueniens vt Epifcopus ex Hiſpaniâ veniens Vicariu ſecum afferat, officium cum eo pariter ſuſcepturum. Ratio eſt clara ex dictis nuper: pro qua facit id, quod habet Barboſa Allegat. 54. num. eodem, de Potestate Epifcopi, vbi ſic ait: Epifcopus ſuum Vicarium generalem debet curare peritum in iis, quæ ad ſuum munus exercendum pertinent, peritum in iure Canonico, & Ciuili verſatum, ac Moralis Theologie non ignarum, & forenſium cauſarum peritum. Sic ille ex alijs, & cum alijs. Quæ quidem ornamenta planum eſt in eo eſſe non poſſe, qui rerum earum inexpertus proſus eſt, quæ ad Pro-

Barboſa.

uinciam ſpectant, cuius eſt gubernationem ſubiturus. Et vt id deſit, quod de peritia Iuris dicitur, quod tamen ad peritiam eorum, quæ ad ſuum munus attinent, aſſeritur, indiſpenſabile penitus debet æſtimari, vt Cap. 1. dicebamus. Quæ doctrina caſui noſtro preſſius adaptatur: res enim Indicæ alterius indaginis ſunt, municipalia iura diuerſa, vnde experientiam exigunt propiorem. Facit etiam pro eodem id, quod habet P. Bauny Tomo 1. Tract. 9. Quæſt. 2. §. Quariò, vbi ait, quòd cum Epifcopus eſt alienigena; Belgæ V. C. aut Italus, eius Officiales ac Vicarios è regno oriundos eſſe oportet, ex Choppino Lib. 1. de ſacra politica tit. 6. numer. 10. & priori eius ratione omiſſâ, ſecunda ex eo procedit quòd cauſa erit turbarum in populo, qui cum rebus ſuiſtutelam atque præſidium nullum eſſe in eorum ſinu cernant, qui linguam ſuam non norunt, iuſta eis haud dubiè daretur querendi cauſa ſe ab Epifcopo neglectos. Quæ quidem licet non omnino quadret; habet tamen momenti non parum, non ſolum ob neglectos indigenas ad curam huiusmodi, ſed ex conſcientiæ defectu in eo, quem penitus ignotum habent, licet eadem lingua loquentem. Omittunt autem Auctores illi quòd ad experientiam pertinet, & eſt tanè potiſſimum. In eo ergo juxta circumſtantiarum qualitatem poterit graue eſſe peccatum.

P. Bauny notanda doctrina.

Id quod eſt Aſſert. præced. dictum, currit etiam quando aliquis ex Hiſpania accerſitur conſtituendus ſtatim Vicarius, curâ Epifcopatus ipſi generaliter demandatâ. Ratio eſt ſimilis: quia idem eſt experientiæ defectus: quantus autem ille ſit, diximus Titulo 1. num. 40. vbi experientiæ ornamentum commendatum.

Aſſertio 2. idem ſtatutum de accerſitis ex Hiſpania.

Dico tertio. In viro aliâ idoneo experientiæ defectus ſuppleri interim ab Epifcopo poteſt, ſi ita vices ſuas tribuat, vt quæ momenti magni ſunt, ad ſe deferenda præcipiat, donec Vicarius ſufficientem hauriat rerum notitiam Indicarum. Quòd ſi propter diſceſſus amplitudinem & multitudinem negotiorum, nequeat ab Epifcopo ſatisfieri cum nouitio Vicario, graue in eo eſſe peccatum poteſt: quia tenetur omnino ſuo muneri ſatisfacere, & cum per ſe non poſſit, debet competentem ſibi adiutorem adſcire, juxta ea, quæ cum multis aſſert Dom. Solorzanus Lib. 3. Cap. 8. num. 11. & ſeqq. & in Politica Lib. 4. Cap. 8. pag. 555. Col. 1. & per hæc conciliari poſſunt, quæ Barboſa adducit Allegat. 1. vſque ad 4. Ex Sbrozio enim de Vicario Epifcopi Lib. 1. quæſt. 34. Cucho, Lælio, Zechio, Menochio, & alijs ſtatuit Vicarium non futurum exterum, ſed qui notos habeat mores hominum ejus loci, pro quo conſtituitur: & quia jure præſumitur originarium majori fide & diligentiâ administraturum. Sed opponit deinde S. Carolus aliter cenſuiſſe, de quo ſic Carolus vitæ Scriptor: Vicarium verò generalem in primis grauem, pietate, religioneque præſtantem, doctrina ſpecialium, iuriſconſultum, tum præterea diſcipline ſacræ ſtudio incenſum, Sacerdotemque eligebat. Hos verò, nempe Vicarium generalem, & duos alios, qui tum ad ciuilia, tum ad criminalia deputabantur, adhibere externos ſolebat; ne forte amicitia, propinquitate, gratiâ, aut verò metu adducti, ius aliquomodo quandoque violarent, minusue liberè dicerent. Sic ille. Conciliari inquam

Aſſertio 3. experientiæ defectum ſuppleri aliquamdiu ab Epifcopo poſſe.

Conſtitutum Barboſa.

S. Carolus ad externos adſcribat. Et quomodo id accipiendum.

Vicarij generales in quibus grauius delinquant.

inquam poſſunt, vt exteri eligantur, ſed non penitus inexperti: accedente autem experientiâ inconueniens illud videtur ceſſare de minore fide ac diligentiâ, quam ſit eâ, quæ originarijs eſſe propria ſolet: multa enim aliunde non ſuppletentia, per illam poſſunt opportune ſuppleri. Videantur dicta citato illo, num. 40.

CAPVT V.

Ratione officij in quibus grauius peccare contingat Vicarios Indicarum Prælatorum.

Aſſertio 1. Inhoſteſtos Parochos tolerantes peccare grauius.

Dico primò. Peccant illi grauius Parochorum notam libidinem tolerantium. Pro quo Decretum Concilij Limenſis ſecundò à Concilio tertio confirmatum & innouatum habemus verbis grauiſſimis Actio. 3. Cap. 19. vbi ſic poſt alia multa: Porro Parochijs Indorum nullo modo Clericos incontinentiâ notatos aut ſuſpectos præſentent: quin potius, cum tales reſciuerint, ſine cunctatione remoueant, neque aliunde remotos alio transferant: ne propter eos (quod crebrò cernimus) nomen Dei blaſphematur inter Gentes. Sed neque iuuenales Indas ad ſeruitiam domeſtica, ſive perpetuâ, ſive etiam per vices alternantes, tenere vlla ratione permittantur: ſed aut famulatu virorum, aut ſi opus erit, mulierum ſatis ætate prouectarum ſeruitio vtantur. Hæc Concilium. Vbi cum Epifcopis & Viſitoribus loquitur; ſpectat autem etiam ad Vicarios, quorum eadem eſt cum Epifcopis ſollicitudo, ſicut & idem eſt tribunal. Quam autem lethalis hæc diſſimulatio ſit, & res ipſa & Concilij verba declarant, quæ præceſſerant, illa ſcilicet: Scientes ſibi in aeterno Dei iudicio grauiſſimè imputandum, ſi eiuſmodi Concubinarios monere aut punire diſſimulauerint. Sic ibi. Quales autem monitiones eſſe debeant, & qualiter ac quando ad poenarum inſtictionem veniendum, ibidem decernitur. Concinit autem Diœceſana Synodus Limenſis Lib. 3. Cap. 3. Titul. 1. Nec quia de Concubinarijs ſermo eſt, ad eos ſolum, qui in rigore tales ſunt, eò quòd pellices domi retineant, vxorum more, vt videri poteſt apud Bonacinam Tomo 3. Diſputat. 3. Quæſt. 7. Puncto 4. num. 1. pertinere putandum eſt. Concilium enim in Decreto prædicto ad Concilij Tridentini diſpoſitionem alludit, cuius & meminit, quæ pro eodem habetur ſeſſione 25. Cap. 14. de Reformat. Vbi non ſolum concubinatus traducitur, ſed impudicitia ſordes; vnde ſic habet: Prohibet S. Synodus quibuſcumque Clericis, ne Concubinas, aut alias mulieres, de quibus poſit haberi ſuſpicio, in domo, vel extra detinere, aut cum ijs vllam conſuetudinem habere audeant: alioquin poenis à ſacris Canonibus, &c. Vnde declarationem, quam adducit Barboſa ibi, quòd ſcilicet, hoc Decretum de concubinato, & alijs impudicitie ſordibus Clericorum non procedit in ſimplici incontinentiâ abſque qualitate concubinatus, cum contraria verbis Concilij ſit, nullus probare poteſt. Niſi dicamus impudicitiam non quamlibet, poenis ibi contentis affici, ſed quæ Concubinatus habeat qualitates, hoc eſt, illi ſimiles, dum extra domum habetur femina, vel conſuetudo cum illâ interuenit, acſi domi haberetur: & hoc ſibi velle Auctorem il-

Concilium Lim. 3.

Nec ſolum de Concubinarijs proprie dictis procedere Decretum.

Concilium Trident.

Barboſa explicatio vbi poſſe ſuſtineri.

lum dictâ explicatione. Quidquid autem de illa ſit, Concilium Limenſe omnem publicam incontinentiam ſuo Decreto comprehendit, dum Clericos incontinentiâ notatos remouendos ſtatuit, circa quod Vicarios ſub reatu lethalis culpæ, & grauiſſimæ proſectò, oportet vigilare.

16 Vbi coomunem illam excuſationem de notorietatis defectu oportet expungere. Eſt quidem omninò tenenda doctrina, quam ſacri Canones circa hoc exhibent, & præſertim Iulius III. in Cap. Veſtra, de cohabit. Clericor. & Innocentius III. in Cap. Tua nos, & Gregorius IX. in Cap. Quæſtum, eodem Titulo, dum ſtatuant non eſſe contra Clericos ob crimen huiusmodi procedendum, niſi notorium fuerit, neque ab eorum conſortio in diuinis abſtinendum: & ſine accuſatore, deficiente notorietate, formandum non eſſe iudicium, ac etiam credendum non eſſe teſtimonio bonorum virorum, inter quos viuere dignoſcuntur. Nihilominùs in citato Cap. Tua nos, id decernitur, quod ſine accuſatore & notorietate poteſt ad remedium mali huiusmodi deſeruire, dum ſic dicitur: Sed ſi de Clericis ipſiſ populo, licet contra ipſos non appareat accuſator, eis tamen eſt Canonica purgatio indicenda: quam ſi præſtare noluerint, vel deſecerint in præſtanda, eos Canonica debet animaduertiſione punire. Sic ibi. Licet ergo bonorum virorum teſtimonia non ſint ad punitionis effectum ſufficientia, poſſunt ad ſuſpicionem ſufficere, & ad ſcandalum credendum; neque enim ad hoc iudicij formam Pontifex neceſſariam eſſe definit. Indicenda ergo eſt purgatio Canonica taliter criminofis. Sed certè in populis Indorum illa impoſſibilis eſt, communiter loquendo, quia nequit ibi eſſe ſufficientes purgationi teſtium numerus, de quo Cap. Inſinatum, de ſimonia. Præterquam quòd purgatio Canonica vix iam in vſu habetur: immò ab vſu penitus abiſſe, niſi in cauſâ hæreſis, teſtantur Iulius Clarus, Salcadus, & Penna, apud Barbolam in Collectaneis ad Decretales, Lib. 5. Titul. 34. Cap. 1. numer. 2.

Notorietas criminis vt neceſſaria ad procedendū contra Clericos.

Cap. Tua nos.

Purgatio nem Canonica in vſu non eſt.

17 Quid ergo faciendum ſuſpicionem incontinentiæ conſtante? Quia remedium illud in vſu non eſt, omni eſt alio proſus abſtinendum? Quis hoc dixerit? Aliquid ergo ad mali adeò peſtiferi depulſionem agendum, quod non in ſola monitione conſiſtat, cui parum fidendum eſt. Et ideò talibus non eſſe indicendum iuramentum, quo iurent ſe ad Concubinas non reuerſuros, ſtatuit Alexander III. in Cap. Clericos, de cohabit. ſic dicens: Clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos, qui publice tenent Concubinas, ad eas abiturandis nolumus à tua Fraternitate compelli, ne in eadem fornicationem inſinctu diaboliæ fraudis redeuntes, periuurij reatum incurrant. Sic ille. Quibus ergo iurantibus fauorabilis nequit eſſe præſumptio, quod non iurantibus eſt credendum, ſed admonitionem Prælatorum emendationis propoſitum magnum ſe concepiſſe teſtatis? Præmittenda quidem monitio, & iterata quidem, iuxta ſacros Canones, vt videri poteſt in Cap. Si quiſquam, eodem Titulo: de quâ & Tridentinum, & vtrumque Limenſe Concilium ſuprà. Sed ſi non proficiant, quid vltra faciendum? Aliquid certè, ne prauo exemplo nouella fidei germina detrimentum

Sed ſuppleda illa aliquid proſtaturum faciendū, qualis non erat monitio.

Cap. Clericos.